

illa sent, & quæ manus aliorum atque auxilium exposcant. Ordinem libri, aliquot in locis mutavimus, ut facilius novellarum libros subsequeretur. Latinas Constit. suo quamque loco inseruimus, ut & magis Juliani labor eluceret comparatione Latinarum Legum; & ut minus in Græcis laboraremus, quæ de eadem re scriptæ sunt.

Hactenus Antonius Augustinus. Porro in duas Partes dividitur Juliani Epitome, quarum Prima continet novellas (uti numerat Ant. Augustinus) LXVIII. a pag. 1. ad 198. Titulus: *In nomine Domini nostri Jesu Christi, incipit Novellarum D. N. Justiniani Imperatoris Pars prima, per Julianum virum eloquentiss. Antecessorem Civitatis Constantinopolitanæ. Novella prima. In digestis & Constitutionibus didicimus, & parentibus quidem & liberis, necnon fratribus & patronis certam quandam portionem ex nostra deberi substantia, quam necesse est omnimodo eis relinquere. &c. Desinit. Explicite prima pars Novellarum D. N. Justiniani Imperatoris.* Secunda Pars continet novellas a LXIX. ad CLXVIII. a pag. 198. ad p. 485. *Incipit novellarum Pars Secunda. Novella LXIX. Hæc constitutio jubet, ut omnes Romani tam in civilibus, quam in criminalibus causis jurisdictioni Præsidum Provinciarum subjiciantur. &c.* Advertendum tamen est tum in Prima, tum in Secunda Parte, numerari quidem Novellas univèrsim CLXVIII., verum desiderari in utraque Parte plures novellas, in Prima scilicet Novellas XVI. XIX. XXI. XXIV. XXV. XXVI. XXVII. XXXVI. XXXVII. XL. XLIII. L. Univèrsim Novellas XII. In secunda Parte desiderari novellas CII. CIII. CIV. CXVI. CXXII. CXXXII. CXXXIII. CXXXV. CXXXVII. CXXXIX. CXL. CXLI. CXLII. CXLIV. CXLV. CXLVI. CXLVII. CXLVIII. CXLIX. CL. CLI. CLII. CLIII. CLIV. CLV. CLVI. CLVII. CLVIII. CLX. CLXI. CLXII. CLXIII. CLXIV. CLXV. CLXVI. CLXVII. CLXVIII. Univèrsim Novellas XXXVII. adeoque deesse Epitomas Novellar. XLIX. atque a Juliano Justinianæ Constitutiones in compendium Latine redactas fuisse tantummodo centum undeviginti: tot enim apud cl. virum Antonium Augustinum prodire.

Fabri